

Medicòs verò omnis varietas medicamentorum compositorum & *Φαρμακοποιητική* ex variorum Ingredientium mixtione oritur; at in eligendis mixtionibus utilibus summo opus Judicio est. Primum igitur exempla dabimus Specierum hac ratione inveniendarum: I. apud Jctos l. 2. *D. Mandati*, & pr. 12. *§. de Mandato* hæc divisio proponitur; *Mandatum* contrahitur 5. modis: mandantis gratia, mandantis & mandatarii, tertii, mandantis & tertii, mandatarii & tertii. Sufficientiam divisionis hujus sic venabimur: Fundamentum ejus est finis  $\omega$ , seu persona cujus gratia contrahitur, ea est triplex: mandans, mandatarius & tertius. Rerum autem trium complexiones sunt 7. Iniones tres: cum solius 1. *mandantis*, 2. *mandatarii*, 3. *tertii* gratia contrahitur. Conznationes totidem: 4. *Mandantis & Mandatarii*, 5. *Mandantis & Tertii*, 6. *Mandatarii & Tertii* gratia. Conzratio una, nempe 7. & *mandantis & mandatarii & tertii* simul gratia. Hic Jcti Inionem illam, in qua contrahitur gratia mandatarii solùm, rejiciunt velut inutilem, quia sit consilium potius, quàm mandatum; remanent igitur species 6. sed cur 5. reliquerint, omissa conznatione, nescio. II. Elementorum numerum, seu corporis simplicis mutabilis species Aristoteles libr. 2. de Gen. cum Ocello Luciano Pythagorico deducit ex numero Qualitatum primarum, quas esse supponit, tanquam Fundamento, his tamen legibus, ut 1. quodlibet componatur ex duabus qualitatibus & neque pluribus neque paucioribus, hinc manifestum est Iniones, conznationes & conznationem esse abjiciendas, solas, conznationes retinendas, quæ sunt 6. 2. ut nunquam in una conznationem veniant qualitates contrariæ, hinc iterum duæ conznationes fiunt inutiles, quia inter primas has qualitates dantur duæ contrarietates, igitur remanent conznationes 4, qui est numerus Elementorum. Apposuimus Schema, (*vide paginam titulo emelatus proximam*) quo origo Elementorum ex primis Qualitatibus luculenter demonstratur. Porro uti ex his illa Aristoteles, ita ex illis 4. temperamenta Galenus, horumque varias mixtiones medici posteriores elicuere: quibus omnibus jam superiori seculo